MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS IV: 1.7. 1.9.)

Melk, um 1470

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Cumque a nullo vel teneri vel liga-
ri potuisset. cucurrit minister et pul-
sans ad ostium nunciavit abbatisse.
At illa apiens ianuam monasterii.
exivit ipsa cum una sanctimonia-
lium feminarum ad latus virorum. et con-
vocans presbiterum. rogavit secum veni-
re ad pacientem. Ubi cum venientes
viderent multos affuisse qui vexa-
tum tenere et motus eius insanos com-
primere conati nequaquam vale-
bant. dicebat presbiter exorcismos. et ne-
que quamvis multum laborans proficere
aliquid valebat. Cumque nil salutis
furenti super esse videret. repente
venit in mentem abbatisse pulvis ille
prefatus. statimque iussit ire ministram
et capsellam in qua erat adducere. Et
dum illa afferens que iussa est
intraret atrium domus. in cuius interio-
ribus demoniosus torquebatur. conticuit ille
subito. et quasi in somnum laxatus
deponit caput. et membra in quietem
omnia composuit. Conticuere omnes
intentique ora tenebant. que res exi-
tum haberet solliciti expectantes.
Et post aliquantum hore spacium resedit
qui vexabatur. et graviter suspirans. Nunc
inquit sanum sapio. recepi enim sensum
animi mei. At illi sedulo sciscita-
bantur quomodo hoc contigisset. Qui ait.
Mox ut virgo haec cum capsella
quam portabat appropinquavit atrio
domus huius. discessere omnes qui me
premebant spiritus maligni. et nec ultra
(licet nusquam) comparuerunt. Tunc dedit
ei abbatissa porciunculam de pulvere
illo. et sic data oratione a presbitero. noctem
illam quietissimam duxit. neque a-
liquid ex eo tempore nocturni timoris

aut vexationis ab antiquo hoste per-
tulit. Sequente dehinc
tempore fuit in eodem mona-
sterio puerulus quidam. longo
febrium incommodo graviter vexatus. Qui
cum die quadam sollicitus horam accessionis
expectaret: ingressus ad eum
de fratribus. vis inquit mi nate doceam
te quomodo cureris ab huiusmodi mo-
lestia languoris? Surge ingredere
in ecclesiam. et accedens ad sepulchrum
sancti Oswaldi ibi reside. et quietus mane
adherens tumbe. vide ne exeas inde.
nec de loco movearis. donec hora re-
cessionis febrium transierit. tunc ipse
intrabo et educam te inde. Fecit puer
ut ille suaserat. sedentemque eum ad tum-
bam sancti. infirmitas tangere eum
nequaquam presumpsit. Quem in tan-
tum timens aufugit. ut nec secunda
die nec tercia. nec umquam exinde eum
auderet contingere. Quod ita gestum
esse qui referebat mihi frater inde ad-
veniens. adiecit quod eo adhuc tem-
pore quo mecum loquebatur super esset
in eodem monasterio iam iuvenis. in quo
tunc puero factum erat hoc miracu-
lum sanitatis. Nec mirandum
preces regis illius iam cum domino regnan-
tis multum valere apud deum. qui
temporalis regni quondam guberna-
cula tenens. magis pro eterno reg-
no laborare ac deprecari solebat.
Denique ferunt quod a tempore ma-
tutine laudis sepius ad diem usque
in orationibus perstiterit. atque ob crebrum
morem orandi. sive gratias agendi
domino semper ubicumque sedens. supinas
super genua sua manus habere solitus
sit. Vulgatum est autem et in consuetu-